

4                      N A V I S   A E R I A .

Aëriasque doce vires . tua gloria tanto  
 Major erit ; puppes quantum super iverit omnes  
 Haec alias , quantum maria ima excedit olympus .  
 Tuque adeo nostrae merito pars altera famae  
 Huc ades aonias musarum exculte per artes ,  
 Ac tenuem quamvis curam ne sperne (b) , Marine .  
 Debita jam Marco persolvi carmina : nostrum  
 Hoc tibi surgat opus , quando florentibus oris  
 Picridum jam templa patent , nec mitis Apollo  
 Audentem frustra pindo me spectat ab alto .

Seu quis (c) daedaleos miratus in aëre cursus  
 Gnoſſiaco è regno , seu quis per inania missas  
 Arte Tarentini Archytae , nova monstra (d) , volucres ,  
 Me

(b) Alter hic auctoris frater , Marinus nempe , quem hoc in carmine adloquitur , alium jam in eo adloquutus , cujus Echo argumentum , prodijtque typis eisdem editum Romae anno 1764 . , propediem etiam in Hollandia recusum prodibit .

(c) . . . . . daedaleos . . . . . Hesiodus quidem tertiam hujus vocis syllabam produxit , & Horat. Flaccus in Odis non semel . At Homerus corripuit Iliad. lib. δ. Ζασηρ δαιδαλεος &c. & lib. θ. δαιδαλεον θωρηκα , τὸν Ηφαιστος χαμῶ τευχῶν &c. quem sequuti sunt praeter alios , & Propertius lib. II. Eleg. XI. edit. Elzév. *Daedaleum lino quum duce rexit iter &c.* , & Columella de cultu hort. inquit : *neu tibi daedaleae quaerantur munera dextrae &c.*

(d) De hac re videndus Plinius in *nat. hist.* Aulus Gel-